



Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXIIX. Minima, minimum, modicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

cap. concertationi de appellat. lib. 6. probat Fab. loco præalleg. pro quo facit & illud, quod comminatorium præceptum superioris vel iudicis iustum inducat metum, præsertim quando facile potest & solet exequi, cap. fin. ubi gloss. & Dd. ad verb. motu regio qui Cleric. vel vov. Dec. in l. omnibus 35. n. 4. de R. l. Alex. conf. 151. n. 4. vol. 6. & conf. 156. n. 4. & 9. vol. 5. vid. Wefenb. i. conf. 43. n. 153. & in parat. Quod metus causa, n. 3.

II.

Ubi factum ad fundandam actionem desideratur, ibi verba non sufficiunt. l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. empt. Wefenb. in parat. ff. ut possid. num. 5. in med. & consil. 305. num. 80. & seq.

III.

Minitans alicui incendium, daß er ihm einen rothen Hahn auf sein Haus setzen wolle / comburendus est. Conf. Crim. art. 176. Damboud. Prax. Crim. c. 103. n. 11.

CAP. XXXIIX. Minima, minimum, modicum.

Axioma I.

Ob minimum nemo præsumitur animam suam damnare. gl. in verb. pretii. cap. etsi quaestiones 18. de simonia. Honthem. lib. 1. de arte Notar. cap. 27. num. 20. Hinc dicitur in causis minimis unum testem, gl. & Bart. & Dd. in l. admonendi, ff. de iurejur. aut etiam famam, Matthesil. sing. 1. & 2. Honth. d. loc. num. 32. Apostil. post Bart. in Auth. nisi breves de appellat. plenam fidem facere, cum in minimis fraudis præsumptio excludatur. l. cum hi 8. ff. transact. & vulnusculum pro vulnere non attendatur. l. 1. §. proinde 8. ff. de adul. edict. Gail. 2. obs. 29. n. 8.

II.

Minimum maximi majus est maximo minimi.

Ita intelligendum est, quod Matth. ii. vers. 11. dicitur: Eum, qui minor est in regno coelorum, majorem esse Johanne Baptista, non ratione dignitatis aut sanctitatis, sed ratione manifestationis Christi, qui in Nov. Testamento manifestatus fuit, D. Danhavver Prodr. Antichr. pag. 53. §. 18.

III.

Minima & modica æquiparantur. arg. l. 2. §. 1. junct. l. 4. ubi Anton. Faber in rational. quod cum eo qui vid. infr. c. modica. axiom. 1.

IV.

Minima non sunt in consideratione, sive, de minimis non curat. Prætor. l. scio. 4. ff. de integr. restit. lib. 4. in fin. ff. de adilit. edicto. l. 37. §. 1. de evict. l. 1. C. si advers. vend. pignor. Husan. de propr. homin. cap. 7. num. 19. l. Nescennius. 34. ff. de Neg. Gest.] Jason. in l. sciendum, n. 7. cum seqq. ff. qui satisdant. cog. Bald. in cap. cum adeo. num. 3. cum seqq. de rescript. latè Cravett. cons. 182. num. 14. & 15. cum seqq. Leo Va-

lent. decis. 113. n. 19. ubi num. 21. quod minimum differt à parvo, & num. 10. quod Prætor non curat de minimis. Ubi quod probatio per juramentum admittitur, ubi agitur de modica summa, & quod sola indicia & præsumptiones admittuntur, ubi agitur de modico præjudicio, & quod tunc sola fama probat, & quod literæ Ordinarii etiam tunc probant, & quod assertioni partium statuitur, ubi agitur de modico præjudicio, etiam in iis, quæ non possunt liberè à partibus disponi sine causa, & quod circa levia statuitur assertioni Iudicis, Alex. conf. 138. Lancellotus num. 3. lib. 2. ubi quod solemnitas non vitiat, si in modico sit omissa, Angel. Aretin. conf. 68. num. 6. vers. quin imo, ubi quod forma data circa modica, & minima non vitiat, si non servetur. Abb. conf. 7. col. 2. lib. 2. ubi quod in modicis statuitur Ecclesia sine consensu Episcopi, & conf. 36. col. fin. eod. lib. 2. ubi quod liber rationum in modicis probat, Brunor. à Sole in locis commun. verb. minima. Aloys. Ric. in praxi rerum fori Ecclesiæ. decis. 691. in 1. edit. aliàs resolut. 585. à num. 7. in 2. edit. Card. Tusch. tom. 5. lit. M. concl. 239. per totam. Surd. conf. 112. num. 26. clarè Sebast. Medices de reg. jur. reg. 5. per tot. Ovid. de Amicis de jure emphyt. q. 7. n. 1.

Intellige Axioma, quando agitur de Jure speciali contra Juris communis regulas, putà per viam restitutionis in integrum, quia tunc de minimis nulla solet esse Prætoris cura, nam pro modica læsione à Jure communi non recedimus; & ita procedit text. in d. l. scio 4. & in l. si quis 9. §. ult. junct. a. 24. ff. de dolo. & in l. res bona 54. ff. de contrahend. empt. l. 48. §. ult. de adul. edict. cum similibus, quia prætor extra ordinem non succurrit, nisi læsio sit enormis; interest enim Reipubl. ne contractus facile rescindantur. Ita si pupillo expediat agrum emptum retinere, ut in pretio nonnihil fuerit læsus, ideo tamen totum contractum per restitutionem in integrum non rescindit Prætor. Brunnem. ad d. l. 4. n. 1.

Declara: (1.) ut præprimis procedat, si majori rei vel summa per restitutionem in re minimà præjudicetur d. l. 4. Nam sic justius est, in re minimà læsum manere eum qui restitui vult. Zoës. ad ff. b. 1. n. 7. (2.) ut Juxta pro qualitate personæ restitutionem petentis arbitretur, quænam res sit minima, quæ non.

Ubi verò agitur de Jure communi, de minimis curatur, & procedit text. in l. 1. §. illud 10. ff. de conjung. cum emancip. liber. & in l. quamvis. 13. ff. ut in poss. ff. legat. & in l. 1. §. cum dicitur 6. ff. si cui plus quam.

quam l. si proprietarius 22. in fine primi responsi. vers. eadem. ff. de damno infecto. quia etiam minima hoc casu poterunt variare juris applicationem, injustum enim foret hæc non attendere. Ita si agatur actione emti ad residuum pretium consequendum, ut hoc sit minimum, tamen à iudice adjudicandum. [ita damnum acceptum in re & ab usufructuario relictum agnosci à proprietario debere, etiam si minimum sit, patet ex d. l. si proprietarius. 22. ff. de damno infecto. vid. & Cast. ad l. 4. ff. de restit. in integr.] idque adeo ut procedat, etiam si simus in poenalibus, puta in furto, quod committitur in anfore, vel gallina, vel in uno ovo, l. naturalis 5. §. gallinarum 6. ff. de acq. dom. §. gallinarum 16. Inst. de rer. divis. Sic intelligunt Bart. num. 1. vers. nota quod de minimis. Alb. de Rol. col. 2. num. 1. in d. l. scio. Imol. in cap. majoribus, col. 1. n. 3. vers. & potes addere de prebend. Curt. jun. in Auth. praterea, col. 3. n. 8. vers. tu considera. C. unde vir & uxor. & alii, quos refert & sequitur Rendina in promptuario recept. sentent. tom. 1. tit. 100. num. 13. Andr. Gail. lib. 2. observ. 102. num. 4. Andr. Ferrar. lib. 1. rerum quorid. cap. 5. cum aliis, quos refert Osyvold. in Donell. lib. 21. cap. 9. lit. L. vers. sed & vulgaris distinctio est. Adde quod etiam in poenalibus axiomaprocedat, Sebast. Medices d. reg. 5. num. 6. ubi infinitos prope assignat casus, in quibus minimum attenditur, Hieronym. Buccaron. de different. inter iudicem civil. & crim. differ. 167. num. 8. ubi pro regula constituit, quod minima in delictis & poenalibus sunt in consideratione. [Clar. in §. furtum. num. 23. quod ipsum licet post Zaf. Covarr. 1. var. resol. 3. num. 12. improbet, sequendum tamen videtur. Tantum enim hoc in actionibus extraordinariis esse receptum, ne illa propter rem minimam intententur, probant d. l. 4. de rest. in integr. & l. 9. ff. de dolo. quamvis nec hoc simpliciter admittat Umm. disput. ad process. 1. num. 15. imò etiam pro minimis poenam pecuniariam in corporalem transmutari posse, ostendit Jas. in auth. qui rem. col. 4. vers. tertio facit. C. de SS. Eccles. quem sequuntur Alex. in l. si servus. §. si plurium in fin. ff. si quis caut. l. fin. in pr. & l. in executione. §. pen. de V. O. Corlet. in tract. de minimis, pag. 6. in 2. fundamento partis affirmativæ. Felin. in cap. ad liberandum notab. 3. extr. de Judeis. faciunt quæ ponit Andr. Sicul. conf. 88. sapienter col. ante pen. vol. 4. quia qui in uno peccat, dicitur factus omnium reus. c. defleat 9.

de R. l. & modicum fermenti totam massam vitiat, ut ait Hostiens. in c. ad probandum de re judic. gloss. in l. si unus. §. pactus. vers. ipso iure in pr. de pact.] latissime Camill. Gallin. de verb. signif. lib. 10. cap. 2. num. 9. cap. 25. num. 32. ubi quod minimi ratio habetur, quando absurdum sequeretur, & num. 8. idem dicit, quando per minimi considerationem fieret præjudicium rebus majoribus, & num. 22. & 23. quando dispositio loquitur conditionaliter, & num. 24. quando aliquid pro forma requiritur, cum ferme nihil addi, aut detrahi possit. & num. 25. quando minimum ad maiorem summam redintegrandam requiritur. & num. 26. quando eadem proportionabiliter in minimo, quæ in magno militat ratio, de quo ultimo Sebast. Medices d. reg. 5. num. 4. & Mari. Giurba ad consuet. Messanens. cap. 6. gl. 6. n. 11. [ita videmus, quando de Majestate conservanda agitur, minimum à magno non differre. l. si quis non dicam 5. C. de Episc. & Cler. cum in crimine lætæ Majestatis solus affectus, solaque mala voluntas puniatur, ut post Felin. in tract. quando comatus noceat. tradit Lud. Gomez ad §. poenales. Instit. de action. num. 4. ita quando de re minima appellationes de Jure Canonico recipi dicuntur, cap. de appellationibus. 11. de appellat. ibidemque gloss. eadem nititur ratione; quod quis possit in parvo gravari sicut in magno, Honth. lib. 1. de art. Notar. cap. 27. num. 15. licet Jus civile, ne forsitan homines propter causas minimas magnis fatigentur dispendiis, ita ut totius litis æstimatio ad sumptus judiciales non sufficeret, non attendat, sed potius restringere videatur, in Novell. 23. quæ habetur etiam cap. anteriorum 28. 2. quæst. 6. huc refert & ea, quæ scripsit Petrus Gerardus in sing. n. 19. ubi ait, quod, quando aliquid non sit fundatum super quantitate rei, sed super injuria & iniquitate, modicum à magno non differat. Unde quod dictum fuit, etiam pro re minima, atque sic pro gravamine quolibet appellari posse, d. cap. 11. de appellat. id fieri potissimum hæc de causa, quod appellatio non sit fundata super quantitate gravaminis, sed super injuria seu iniquitate judicii. Hinc & in furto, quia non super quantitate rei, sed super iniquitate ipsius foris fundatum est, si datur actio furti pro re minima, eadem ratio iniquitatis in minimis, quæ est in magnis, locum inveniet, licet in actione doli prætoria secus sit, cum illa super quantitate fundetur, d. l. si quis 9. in fin.

in fin. cum l. seq. ff. de dol. de jure enim communi perpetuo verum manet, quod ait, l. dolus. 10. C. de rescind. vendit. dolum ex qualitate facti, non ex quantitate pretii aestimandum esse, Ant. Fab. dec. 7. error. 10. num. 1.

CAP. XXXIX. Ministerium.

Axioma I.

Actus quilibet non ad eum, qui ministerium præstat, sed ad eum, qui ministerio isto usus est, referuntur, exempl. l. & licet 15. C. de constit. pecun. & l. quod meo 13. pr. ff. de acquir. poss. nec omnino velle credendus est ille, qui aliis ita jubentibus obsequitur, l. velle. 4. ff. de R. l.

II.

Paucis ministris ac fides utendum, nec iis, quorum fides explorata non est, arcana communicanda sunt, quinimo nec plures præsidarii possessioni imponendi, quam qui ad custodiam sufficienti l. un. C. de Apparit. Comit. Orient. Perez. ibid. n. 3. nec plures apparitores à iudicibus constituendi, aut certe citra Reipubl. sumtum. Perez. ibid. n. 4. l. 4. C. de SS. Eccles.

III.

Premiis laborum ministri, quorum opera indigemus, alliciendi, non metu terribili & necessitate libertati incongrua se alienandi. Perez. C. de Apparitor. Comit. Orient. n. 5.

IV.

Omnis gloria rerum bene gestarum Principi, non Ducibus aut aliis ministris adscribenda est. Perez. C. publ. Letit. n. 3. q. nam ministri sunt vice principum, eorumque imago & umbra. Mev. conf. 100. n. 110.

CAP. XL. Minus.

Axioma I.

Minus solvere & omnino non solvere sunt paria. arg. l. 3. §. 1. Commod. Beld. lib. 2. conf. 19. num. 66.

II.

Minus fecit, qui nihil ejus, quod promissit, fecit, quam qui incepit quidem, & negotium inchoatum reliquit imperfectum. lib. 32. l. 101. ubi Gædd. num. 1. de V. S. plus enim abest illi, qui nihil, quam qui aliquid recepit, l. amissi 52. ff. de fidei. l. decem 116. de V. O.

III.

Minus potest, cui plus concessum est.

Limita: si in minori non militet eadem ratio. Ita enim fiscus rem communem invito socio potest vendere, non autem obligare vel oppignorare. Perez. C. de vendit. rer. fisc. n. 7. nec locare aut jus communis hypotheca remittere. Id. n. 8. nec in emphyteusin vel feudum dare, Brunnem. C. cod. tit. in fin.

IV.

Minus majori inest. Hinc Senator, qui fit Imperator, nihilominus Senator manet l. 8. C. de dignit. & ad majorem dignitatem ascendens minorem non amittit, l. 3. C. eod. Perez. C. eod. n. 61.

CAP. XLI. Minorennitas, Minor.

Conf. Rubr. Curator.

Axioma I.

Minorennitas non operatur quidquam in his, quæ non dependent à voluntate ejus qui est minor, l. 1. in princ. & l. magis puto 5. ff. de rebus eorum. Bart. in l. qui Romæ. §. coheres. de V. O. Octavian. Simoncell. in tr. de decret. ceterisque solemnitatibus, lib. 22. tit. 6. num. 108. Vultejus 3. conf. Marpurg. 29. num. 237.

II.

Minoris conditio melior est quam mulieris. l. ult. in princ. ad SC. Vellejan. Ant. Fab. in C. suo de fin. 5. n. ult.

III.

Minori in jure erranti æque subvenitur atque si erraret in facto, l. interdum 29. ff. de condit. indeb. quem textum ad hoc citat Castrensis. conf. 142. n. 1. volum. 1. v. Vult. 3. conf. Marp. 29. num. 161. quia jura ignorare præsumitur, l. regula 9. §. 1. ff. de jur. & fact. ign. Bald. in l. conditio. num. 3. C. de Usucap. pro empt. etiam si de lucro perdendo traheret. Alex. conf. 26. ante fin. vol. 7. quem allegat & sequitur Cravetta consil. 192. num. 5. & consil. 792. num. 5. & seqq.

IV.

Minor non debet habere potestatem in majorem. cap. penult. extr. de major. & obed. Minori enim ut serviat major, nulla justitia est. c. est ordo 12. 33. quæst. 5. sed potius minor à majori exemplum capere debet. cap. cum ex eo 14. extr. de penit. & remiss. potest tamen minor se opponere majori, imò unus multis, cum modò justam causam ostendat, cap. ex parte 10. extr. de concess. preb. imò sapientissimè ejus conditio est melior, quia hic eligit, major autem concludit. cap. 1. extr. de paroch. Minor tamen ex causa potest gerere magistratum l. 1. ff. de Decur. si scil. civium copia non sit l. 2. C. qui ætate. Perez. ibid. n. 5. Imò ad officia publica gerenda minor 20. annos scil. natus admittitur. l. 2. §. Senatores C. de his qui veniant ætatis. imò pro quovis liberorum annis minori quoad suscipiendas dignitates remittitur l. 2. ff. de minor. Perez. C. qui ætate num. 6.

V.

Minor pars tenetur facere, quod major facit, cap. ex parte 28. extra de censib. Intelligi scilicet in terminis habilibus. Unde quando minor pars dignum, major autem indignum eligit, valet minoris partis electio. cap. congregati 53. cap. Ecclesia 57. extr. de Elect.

VI.

Quicumque actus in majori ætate gestus non infert necessariam approbationem gesti in minore ætate, ex eo non præsumitur ratihabitio. Vel: Quoties actus in majore ætate gesti alia conjectura capi potest quam approbationis, toties ea non præsumitur.

Ratio: quia ratihabitio in dubio non præsumitur sed probanda, præsertim in casu, ubi agitur de læsione vitanda & renunciatio- ne beneficii restitutionis in integrum, quæ